



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum cognatio legalis contrahatur solum inter adoptantem patrem &
filium adoptatum? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

*Al. pro-
pinqui-
tas.*

vt patet per eius definitionem; est enim legalis cognatio quædam *proximitas proueniens ex adoptione. Ergo ex adoptione causatur vinculum, per quod matrimonium impeditur.

*li. 4. sent.
d. 42. §.
D.*

¶ Præterea, Hoc idem habetur ex auctoritatibus in littera *positis.

RESPONDEO dicendum, quod lex diuina istas præcipue personas à matrimonio excludit, quas necesse erat cohabitare: ne, vt Rabbi Moyfes dicit, si ad eas liceret vii carnali copula, facilius pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum. Et quia filius adoptatus conuersatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis: ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi; & talis prohibitio est per Ecclesiam *approbata: & inde est quod legalis cognatio matrimonium impediatur.

*lib. 4. de-
suet. tit.
12.*

Et per hoc patet solutio Ad tria prima: quia per omnia illa non inducitur talis cohabitatio, quæ possit fomentum concupiscentiæ præstare. Et ideo ex eis nõ causatur propinquitas, quæ matrimonium impediatur.

Ad quartum dicendum, quod prohibitio legitimæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interueniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit.

ARTIC. III.

Vtrum cognatio legalis contrahatur solum inter adoptantem patrem, & filium adoptatum?

338

AD tertium sic proceditur. Vietur, quod talis cognatio non contrahatur, nisi inter patrem adoptantem, & filium adoptatum. Maxime etiam videtur, quod deberet contrahi inter patrem adoptantem & matrem naturalem adoptati: sicut accidit in cognatione spiritali. Sed inter tales nulla est cognatio legalis. Ergo nec inter aliquas alias personas præter adoptantem & adoptatum.

¶ 2 Præterea, Cognatio impediens matrimonium est perpetuum impedimentum. Sed inter filium & patrem

patrum & filiam naturalem adoptantis, non est per-
petuum impedimentum: quia soluta adoptione per-
petuum adoptantis, vel emancipationem adoptati,
potest contrahere cum ea. Ergo cum ea non habuit
aliquam propinquitatem, quae matrimonium impediret.

¶ 3 Præterea, Cognatio spiritualis in nullam per-
sonam transit, quæ non possit ad aliquod sacramen-
tum tenere vel suscipere: unde in non baptizatum,
non transit. Sed mulier non potest adoptare, ut ex
his patet. Ergo cognatio legalis non transit à
patre in uxorem.

¶ 4 Præterea, Cognatio spiritualis est fortior,
quam legalis. Sed spiritualis non transit in nepotem,
ergo nec legalis.

SED contra, Plus concordat cognatio legalis cum
coniunctione carnis vel propagatione, quam spiri-
tualis. Sed spiritualis cognatio transit in alteram
personam. Ergo & legalis.

¶ Præterea, Ad hoc sunt auctoritates, quæ in li-
bris ponuntur.

RESPONDEO dicendum, quod triplex est legalis
cognatio. Prima, quasi descendentiæ: quæ contra-
hitur inter patrem adoptantem & filium adoptatum,
filium filij adoptiui, & nepotem, & sic deinceps.
Secunda, quæ est inter filium adoptiuium & filium na-
turalem. Tertia, per modum cuiusdam affinitatis,
quæ est inter patrem adoptantem & uxorem filij ado-
ptati, vel è contrario inter filium adoptatum & ux-
orem patris adoptantis. Prima ergo cognatio, & tertia
impediunt matrimonium. Secunda autem
non, nisi quamdiu manet in potestate patris adoptan-
tis: unde mortuo patre vel filio emancipato, potest
contrahi inter eos matrimonium.

Ad primum ergo dicendum, quod per generatio-
nem spiritualement non trahitur filius extra potesta-
tem patris, sicut fit per adoptionem: & sic filius
spiritualis remanet filius utriusque simul, non au-
tem filius adoptiuius: & ideo non contrahitur aliqua
pro-

ar. 1. hu-
ius quæst.
ad 3.

propinquitatis inter patrem adoptantem, & matrem, vel patrem naturalem, sicut erat in cognatione spiritali.

Ad secundum dicendum, quod cognatio legalis impedit matrimonium, propter cohabitationem: & ideo quando soluitur necessitas cohabitationis, non est inconueniens, si prædictum vinculum non maneat: sicut quando fuerit extra potestatem eiusdem patris. Sed pater adoptans, & vxor eius semper quandam autoritatem retinent super filium adoptatum, & vxorem eius. Et propter hoc manet vinculum inter eos.

Ad tertium dicendum, quod etiam mulier ex concessione principis adoptari potest: unde etiam in ipsam transit cognatio legalis. Et præterea non est causa, quare cognatio spiritalis non transit in non baptizatum, quia non potest tenere alium ad sacramentum; sed quia non est alicuius spiritalitatis capax.

Ad quartum dicendum, quod per cognationem spiritualement filius non ponitur in potestate, & cura patris spiritalis; sicut in cognatione legali. Oportet enim, quod quicquid est in potestate filij, transeat in potestatem adoptantis patris. Unde adoptato patre, adoptantur filij & nepotes, qui sunt in potestate adoptati.

QVÆST. LVIII.

De impedimento frigiditatis, maleficij, furie, amentie, incestus, & defectus ætatis, in quinque articulos diuisa.

Debet considerandum est de quinque impedimentis matrimonij, scilicet de impedimento frigiditatis, maleficij, furie, vel amentie, & incestus, & defectus ætatis.

¶ Et circa hoc queruntur quinque.

- ¶ Primo, utrum frigiditas matrimonium impediat?
- ¶ Secundo, utrum maleficium?
- ¶ Tertio, utrum furia vel amentia?
- ¶ Quarto, utrum incestus?
- ¶ Quinto, utrum defectus ætatis?